DE

AESCHYLI ET SOPHOCLIS ENUNTIATORUM RELATIVORUM USU.

(CAPITA SELECTA.)

DISSERTATIO INAUGURALIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE EBERHARDINA CAROLINA TUBINGENSI PHILOSOPHORUM ORDINI TRADITA.

IOANNES KLASEN

BONNENSIS.

TUBINGAE

P. HAUPTMANN MDCCCXCV.

Hoc opusculo capita selecta dissertationis philosophorum ordini traditae propono cetera occasione data publicaturus.

PATRIS MANIBUS.

I. De ee. rr.^{vis}, quae exclamativa dicuntur.

Ee. rr.[1]), cum ordo e ratione sumitur, quae interest inter e. r. et enuntiatum, ad quod illud refertur, dividenda sunt in ee. rr. necessaria et non necessaria. Non necessarium tum dico e. r., cum enuntiatum, ad quod refertur, per se stare potest neque ullo supplemento eget, necessarium, cum enuntiatum, ad quod e. r. refertur, sine e. r.^{vo} aut omnino intellegi non potest aut falsum sensum praebet.[2]) Ee. rr. alia hoc, alia illo munere funguntur. Multa ee. rr. orationem continuant Aesch. Pers. 477 (ed Weckl. 1885) κοὐκ ἀπήρκεσαν | οὓς πρόσθε Μαραθὼν βαρβάρων ἀπώλεσεν. | ὧν ἀντίποινα παῖς ἐμὸς πράξειν δοκῶν | τοσόνδε πλῆθος πημάτων ἐπέσπασεν | . E. r.^{vo} ὧν ἀντ. oratio continuatur, cum nova sententia asseritur, quae antecedentem tempore vel cogitatione sequitur eiusdemque momenti est. (De origine pron. rel. cf. Windisch, Curt. St. II. p. 201). In eiusdem generis exemplis legimus imperativum Prom. 814, coni. prohib. Prom. 743 optativum Ch. 264. Alia sunt ee. rr., quibus explicatio contineatur Aesch. Pers. 809 οὗ σφιν κακῶν ὕψιστ᾽ ἐπαμμένει παθεῖν, | ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημάτων · | οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ᾽ οὐ θεῶν βρέτη | ᾐδοῦντο συλᾶν οὐδὲ πιμπράναι νεώς · Ee. rr. pronomine relativo alteri e^{to} adiuncta de voce relationis (σφιν) aliquid praedicant, quod totam sententiam explicet. Indicativum fere semper legi consentaneum est; opt pot. cf. Aesch. Suppl. 657, Denique ee. rr. inveniuntur, quae sententiam contineant fere superfluam.

---

[1]) enuntiata relativa.

[2]) Etiam de enuntiatis adverbialibus dicendum est. Sed ea tantum respiciam, in quibus vis proprie relativa adverbiorum servata est.

Aliis ee. rr.^{vis} factum continetur, quod ad totam orationem non pertinet, A. Pers 896 Σαλαμῖνά τε τᾶς | νῦν ματρόπολις | τῶνδ' αἰτία στεναγμῶν, ubi augendi et ornandi causa de Salamine aliquid novi adicitur; aliis ee. rr.^{vis} notio, ad quam referuntur, quamquam supplemento non eget, certius definitur Aesch. Prom. 942. Ubique indicativus exstat. Eorum autem ee. rr.^{vorum}, quae explicationem continent (cf. Pers. 809), persimilia esse mihi videntur ea, quae exclamativa vocari solent. De quibus nunc disseram.

In omnibus fere grammaticis lexicisque scriptorum sub vocibus οἷος, ὅσος, ὡς traditum est illa vocabula etiam ad exclamationem adhibita esse. Brugmannus autem vim particulae ὡς et pronominum οἷος, ὅσος his verbis exponit: „Diese Relativsätze entstanden durch Verschmelzung einer in einen Relativsatz eingekleideten Erläuterung zu einem Ausruf mit diesem Ausruf.“ „Diese Vereinigung des Relativsatzes mit seiner Bezugsmasse war schon in vorhistorischer Zeit durchgeführt, schon damals ein fertiger Satztypus geworden.“ (Brugm. Gr. Gr. in J. Müller, Handb. II. p 230.) Recte Brugmannus statuit in exclamatione explicationem aliquam inesse. Attamen puto eam esse simpliciorem, quam vir doctissimus voluit. Nil sane rationis explicativae videmus in Platonis illo Eut. 15 e. οἷα ποιεῖς. Sed in exemplo Homerico, quod ut ab aliis sic etiam a Brugmanno affertur, νηπύτι' ὡς ἄνοον κραδίην ἔχες (Il. Φ 441), vis explicativa fortasse nondum evanuit. Brugmannus sua ratione ductus sic interpretatur: „Unverständiger, der du ein so thörichtes Herz hattest, wie du es hattest.“ Possis vertere: „Unverständiger, ein wie thörichtes Herz du hattest;“ supple: „Unverständiger (so muss ich sagen), da du ein so thörichtes Herz hattest“ sive „ein so thörichtes Herz hattest du.“ Certe enim hic usus e demonstrativo ortus est. Verba ὡς. ἄ. κ. ἔ. quasi suspensa sunt e locutione νηπύτιε. Quaeritur autem, num etiam in ceteris exemplis vis explicationis quodammodo occurat. Videamus primum exempla, quae grammatici afferunt.

Schmalfeldius (Synt. d. griech. Verbs p. 256 A. 3) adnotat in exclamationibus pronomina et adverbia relativa usurpari; haec exempla ex Homeri carminibus sumit praeter Φ 441 Od. σ 35 οἵην τερπωλὴν θεὸς ἤγαγεν ἐς τόδε δῶμα. Nequaquam exclamatio est. Antecedit enim Ὦ φίλοι, οὐ μέν πώ τι πάρος τοιοῦτον ἐτύχθη. Respondet igitur οἵην voci τοιοῦτον. Tunc affert Od. α. 32 ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται. Antecedit ὢ πόποι. Eadem exempla Kuehner affert (Gr. Gr. II. p. 943 [2] sq.) Persaepe apud Homerum ante e. r. locutio ὢ πόποι legitur. οἷος Od. ρ. 248 Il. H. 454 cf. Od. ν. 140 ὡς Od. κ. 36 σ. 25 ο. 381 π. 364. Interiectio doloris vel indignationis (οἴμοι s. similis) antecedit οἷος Il. Θ. 152. Π. 48. Secuntur loci, quibus persona aliqua solum invocatur ὡς Il. Φ 272 Ζεῦ πάτερ, ὡς... οἷος Il. E 600 X 177. Hi sunt loci, qui exclamationes in Ebelingii lexico feruntur. Restant quattuor loci, quibus passim non sine dubitatione vis exclamativa attribuitur. Il. P 472. Αὐτόμεδον, τίς τοί νυ θεῶν νηκερδέα βουλὴν | ἐν στήθεσσιν ἔθηκε καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς; | οἷον πρὸς Τρῶας μάχεαι πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ: Verbis οἷον π. T. μ. eqs. causa affertur, cur illud interrogetur τίς τοι . . . Similiter explicandi sunt Il. P 586 Δ 153 Od. α 408.

Cum intuemur exempla, quae attuli, videmus saepe e. r.vo interiectionem ὢ πόποι vel ὤμοι antecedere. Ubicumque autem exclamatio vel interiectio legitur, e maiore animi affectu nata est. Atque in locutione ὢ πόποι quidem is affectus inest, qui verbis antecedentibus notatur. Idem cadit in ὤμοι. Aliis locis solam invocationem legimus, qualis est ὦ φίλοι eiusque similis. Sed lege exempla, invenies facile perspici posse, quo affectu haec invocatio pronuntietur. E. g. Il. Φ 272 legitur Ζεῦ πάτερ, antecedit ᾤμωξεν. Quo verbo et totius loci sensu affectus doloris apparet. Il. E 596 affectum timoris, X 179 indignationis statim cognoscimus. Antecedit igitur apud Homerum e. r.vo locutio aliqua, in qua inest totius loci affectus. Cuius affectus de causa e. r.vo ipso certiores fimus.

Quare apparet haec enuntiata non multum differre ab iis, quae persaepe post verba affectuum inveniuntur e. g. Il. Θ 286 ὢ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, | οἷον δὴ αὖτ' ἐξαῦτις ἀνέστη κῆρας ἀλύξας | Ἕκτωρ . . . Admirationis causa affertur cf. Il. E 757 Π 744. Vertere solent ὅτι τοῖον. Ex usu demonstrativo οἷον, olim τοῖον, hic usus facillime cognoscitur. In iis autem exemplis, quae exclamationes vocantur, quia affectus totius loci in locutione inest, quae e. r.vo antecedit, constat hanc locutionem a verbo affectus non procul abesse sensu. Atque re vera ee. rr., quae exclamativa nominantur, eorum, quibus explicatio verbis affectuum additur, natura similia esse, ut pleraque eorum eodem modo explicari possint (οἷος = τοῖος, τοῖος γάρ, ὅτι τοῖος, ὡς = ὅτι οὕτως), aliis locis comprobatur. Sunt enim loci, quibus coniunctio vere causalis interiectionem sequatur Il. 431 τοὺς δὲ ἰδὼν ἐλέησε Κρόνου πάις ἀγκυλομήτεω, | Ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην ἄλοχόν τε. | ὤμοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν, | μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι. Verbis ὅτε etc. affectus doloris explicatur, qui inest in verbis ὤμοι ἐγών. Simile exemplum est Il. A 517. Puto huc pertinere etiam Ω 255 ὤμοι ἐγὼ πανάποτμος, ἐπεὶ eqs. Hic sane ad interiectionem primum se applicat adiectivum.

Deinde particulam ὡς, si re vera ad exclamationem ut propriam loquendi formam („Typus“ Brugm.) adhibitam esse etiam pristina aetate statuimus, certe exspectamus, qualis est illius particulae significatio, qualitati notandae inservire. Idem cadit in οἷον, si aeque atque ὡς ad praedicatum spectat. Sed huic significationi nonnulli loci repugnare videntur. Cognosci potest illa vis Il. Φ 441, ubi ὡς ad adiectivum pertinet, ὡς ἄνοον, quam stultum, et Od. σ 25 ὡς ἐπιτρ., quam loquaciter cf. οἷον Od. α 32 Il. E 596. Plane alia res est Il. Φ 272 Πηλεΐδης δ᾽ ᾤμωξεν, ἰδὼν ἐς οὐρανὸν εὐρύν· | Ζεῦ πάτερ, ὡς οὔ τίς με θεῶν ἐλεεινὸν ὑπέστη | ἐκ ποταμοῖο σαῶσαι· Neque enim hoc loco agitur de ulla qualitate illius ὑποστῆναι aut σαῶσαι. Immo totum e. r. particula ὡς, quae, quod ad sensum attinet, hic

vim fere coniunctionis causalis habet, cum vocibus Ζεῦ πάτερ conectitur, ut affectus doloris (ᾤμωξεν), qui inest in verbis illis, statim explicetur. Idem fort. cadit in Od. π 364.

Iam aliud accedit, quo iterum iterumque apparere mihi videtur ee. rr., de quibus agitur, pristina quidem linguae aetate ut exclamationes (Typus) concepta non esse. Nos, cum consideramus exempla verae exclamationis, qualia sunt: Was sagtest du da! certe exspectamus Graecos locis similibus, quia, quamquam merae interrogationes non sunt, tamen interrogationum similes sunt, non tam pronomina relativa quam interrogativa usurpavisse. Atque re vera haec pronomina inveniuntur. Nam Kuehner (l. l.) errat, cum dicit Graecos in exclamationibus solum pronomina relativa usurpavisse. Od. β. 242. Μέντορ, ἀταρτηρέ, φρένας ἠλεὲ ποῖον ἔειπες, | ἡμέας ὀτρύνων καταπαύεμεν etc. Re vera exclamationem habemus, non interrogationem. Idem cadit in Od. α 64 τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων cf. ε 21 τ 492 γ 230 φ 168 ψ 70 Il. Δ 350 Ξ 83 Α 551 αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες. Θ 462 Ξ 330 Ο 351 Ἆ δειλοί, τί κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων | εἰλύαται κεφαλαί ... Dubitare possumus hicne verba τί κακὸν ... ut interrogatio interpretanda sint. Nam malum illud is, qui loquitur, statim ipse exponit cf. πῶς Il. Ω 519. Ab his sane seiungendi sunt loci, quibus interiectionem quandam sive vocationem vera interrogatio sequitur, Od. ξ 25 ϑ 152 ο 326 ω 478 all. ll.

Videmus igitur apud Homerum in iis enuntiatis, quae exclamationes vocari solent, partim pronomina et adverbia relativa (etiam ὅτε, ἐπεί) partim interrogativa exstare. Atque usus pronominum et adverbiorum interrogativorum satis late patet. Quare in his quidem carminibus, quia constat Homerum pronomina relativa et interrogativa non discrimine neglecto miscuisse, contenderim duplicis sermonis forma duplicis sensus vestigia patefieri. Neque enim nego apud scriptores posterioris aetatis duas, quas descripsi, locutiones, si quidem

pronomina et advv. interrogativa postea adhibita sunt, usu immutatas eadem vi praeditas esse (exclamativa scil.). Origo non eadem est.

Quibus explicitis colligere possumus ee. rr., quae exclamationes dicuntur, ex ee[tis] explicativis hocce modo orta esse. Ad interiectionem sive exclamationem maiore animi affectu ortam (ὢ πόποι, — ὤμοι, — personae nomen, quod cum affectu aliquo pronuntiatur) se applicabat enuntiatum, quo ille affectus explicaretur. Hoc autem enuntiatum explicativum pronomine sive adverbio aliquo olim demonstrativo postea relativo cum interiectione sive exclamatione antecedenti conectebatur Φ 441 νηπύτι', ὡς ἄνοον κραδίην ἔχες. Exclamatio νηπ. explicatur verbis ἄνοον κ. ἔ. Cuius rationis signum est ὡς. Thor, ein so unverständiges Herz hattest du. v. supra. Natura igitur ee. rr.[vorum], quae ad interiectionem sive vocem similem se applicant, cum iis, quibus verbis affectuum causa adiungitur, arte cohaeret. Huius originis et usus memoriam, quantum ex iis, quae de Homeri exemplis observavi, intellegi potest, apud Homerum aliquo modo servatam esse neque exclamationem ut singularem loquendi formam iam inveteravisse puto. Haec satis sunt de Homero.

Etiam apud Aeschylum semper locutio aliqua e. r.[vo] antecedit. Primum afferendi sunt loci, quibus interiectioni appositum est nomen adiectivum, quo affectus exclamationis clare cognoscatur οἷος Pers. 735 ὢ μέλεος, οἵαν ἄρ' ἥβην συμμάχων ἀπώλεσεν. E. r.[vo] exponitur calamitas, quae verbis ὢ μέλεος notata est. ὡς. Pers. 911 Ch. 739. Aliis locis e. r.[vo] exclamatio antecedit, qua nomen auctoris calamitatis continetur. Nomini auctoris autem attributum est adiectivum ad rem aptum. ὡς Pers. 745 ὦ στυγνὲ δαῖμον, ὡς ἄρ' ἔψευσας φρενῶν | Πέρσας Pers 518 Ch. 688 Pers. 521 ὦ νυκτὸς ὄψις ἐμφανὴς ἐνυπνίων, | ὡς κάρτα μοι σαφῶς ἐδήλωσας κακά. E. r.[vo] explicantur verba antecedentia. Sequantur loci, quibus interiectio dolorem sive indignationem significans antecedit ὡς. Pers. 287 φεῦ, τῶν Ἀθηνῶν

ὡς στένω μεμνημένος. Ch. 287. Denique nominandi sunt ii loci, quibus mera invocatio antecedit. οἷος. Sept. 242 ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος. Toto loco indignatio apparet; cum dolore autem invocatio pronuntiatur ὡς Pers. 252. 847.

Videmus igitur etiam apud Aeschylum e. r. semper se applicare ad locutionem aliquam. Ex his colligere possumus conscientiam explicationis, cuius vestigia apud Homerum statuisse mihi videor, ne apud Aeschylum quidem plane evanuisse. cf. etiam Pers. 520 οἴ 'γὼ τάλαινα διαπεπραγμένου στρατοῦ. Genetivus absolutus ad explicationem adhibitus est vel genetivus nexu causali pendet a verbis οἴ 'γὼ τάλαινα eodem modo, quo verba affectuum cum genetivo coniunguntur cf. Kuehner II p. 324 praec. 325 c. Quibus disputatis contendo horum enuntiatorum, quae exclamationes vocari solent, originis memoriam et vim explicationis etiam apud Aeschylum aliquo modo servatam esse. Ee. rr. explicationem locutionis antecedentis continent neque multum differunt ab ee rr.^{vis}, quibus verbis affectuum explicatio additur. E. r. pendet quasi a verbis, quae antecedunt e. g. Pers. 847 ὦ δαῖμον ὥς με πόλλ' ἐσέρχεται κακὰ | ἄλγη. „O Gott, wie mich viele Leiden treffen" (so rufe ich mit Schmerz, da mich so . . .).

Restant duo exempla, quae fortasse repugnare videntur. Pers. 1008. Chori senes, quae Xerxes cum exercitu passus est, magno cum luctu lamentantur. ΧΟ. ἰὼ ἰώ, δαίμονες, | ἔθετ' ἄελπτον κακὸν | διαπρέπον, οἷον δέδορκεν ἄτα | . ΞΕ. πεπλήγμεθ' οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι. Verba priora varie mutata sunt. Sed longum est de iis dicere. Certe inest in iis hic sensus: „magna calamitas apparuit." Deinde verisimillima coniectura Palei est οἵᾳ—τύχᾳ, quam accepit Wecklinus; nulla scilicet mutatio est. Chorus: Magna calamitas orta est. Deinde Xerxes, ut chori sententiam confirmet, dicit: (Certe magna calamitas orta est) quali i. e. nam tali, tam acerba fortuna afflicti sumus. Xerxis lamentationem tum chorus suscipit: πεπλήγμεθ', εὔδηλα γάρ. Eodem modo verba formata sunt, ni fallor, antea 1002. Hi

enim loci, ut apparet, alter simili modo alterius consulto structi sunt. Legitur autem 1002 XO. Nonnullos eorum, qui profecti sunt, desideramus ἔταφον, ἔταφον | οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς | τροχηλάτοισιν ὄπιθεν (M. ὄπισθεν, corr. Bothius) ἑπόμενοι. „Miror, miror, non adsunt illi te sequentes.“ Xerxes, ut hoc confirmet et explicet, pergit: „(Non secuntur) nam perierunt, quicumque duces erant“ βεβᾶσι γὰρ οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ. Chorus statim haec recipit βεβᾶσιν, οἴ, νώνυμοι. Ag. 1230 Cassandra de Clytaemnestra dicit. τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος | τύχοιμ' ἄν· ἀμφίσβαιναν, ἢ Σκύλλαν τινὰ | οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι; ναυτίλων βλάβην, | θύουσαν Ἅιδου μητέρ' ἄσπονδόν τ' Ἄρη | φίλοις πνέουσαν; ὡς δ' ἐπωλολύξατο | ἡ παντότολμος, ὥσπερ ἐν μάχης τροπῇ. | δοκεῖ δὲ χαίρειν νοστίμῳ σωτηρίᾳ. Hoc loco ὡς non exclamativum est, sed quod sensu colligatur, verba ὡς δ' etc. scripta sunt, ut superiora confirmentur et explicentur. Imprimis autem spectant ad verba θύουσαν-πνέουσαν, ubi Clytaemnestra bellum inferre carissimis dicitur. (Certum est enim Raulinsoniani Ἄρη pro librorum ἀρὰν.) Itaque Hartungii coniectura ὡς γ' (ὡς causale) non improbabilis est, nisi mavis δ' delere. Sed fortasse ὡς hoc loco plane demonstrativum est, ὥς; δὲ autem sic minus offensioni est. Adiungit Aeschylus enuntiata particula δέ, ubi nos nexum causalem exprimi exspectamus.

Apud Aeschylum pronomina et adverbia interrogativa in exclamationibus non exstare videntur. Nam Pers. 798, ubi legimus πῶς εἶπας certe vis interrogativa valet. Interrogatio sane cum admiratione pronuntiatur. Eadem locutio apud Sophoclem saepius exstat cf. El. 407, 1220. De Sophocle nunc paucis videamus. Pleraque exempla Sophoclea similiter atque Homerica et Aeschylea formata sunt. Interiectio doloris velut παπαῖ, οἴμοι, etc. saepe antecedit, ad quam e. r. se applicet, οἷος Phil. 786 OR 1317 OC 1399 Tr. 1206 1203 Ai. 367 944 ὡς Ai. 354 587 1266 Ant. 82 320 El. 920 OR 316 Ant. 1270. Praeposita est exclamatio ὦ τλῆμον eiusve similis, quae explicatur Ai. 641 ὦ τλᾶμον πάτερ, οἵαν σε μένει πυθέσθαι |

παιδὸς δύσφορον ἄταν. οἷος. Ant. 1228 Tr. 1112 Ai. 923 ὡς. El. 807 1199 OR 1347 Tr. 1243. Mera invocatio, in qua totius loci affectus inest, antecedit ὅσος. OR 380 1223 Ai. 1004 οἷος. Phil. 991 1004 1006 OR 1223 1394 Tr. 994 ὡς Phil. 1006 OR. 1186 all ll. Inveniuntur etiam loci, quibus ὡς non habeat, quocum bene coniungatur cf. p. 8, OR 1186 El. 1126. Contra sunt quoque loci, pauci sane sunt, quibus vis explicationis nullo modo statui possit, quia locutio non antecedit, a qua e. r. suspendatur. οἷος OR 726 οἷόν με-ἔχει ψυχῆς πλάνημα Ai. 221 ὅσος. OC 876 ὡς Tr. 395. Quare non nego ee. rr., quae exclamativa vocantur, paulatim usu perpetuo immutata in propriam loquendi formam abiisse. Exempla Sophoclea Ellendtius in lex. Soph. cum iis locis coniungit, quibus ee. rr. (ὅσος, οἷος, ὡς . . .) subiectum vel obiectum verbi sentiendi vel declarandi continent. Tr. 988 ἆρ'ἐξῄδησθ' ὅσον ἦν κέρδος cf. Ai. 118, 304 all. Huiusmodi exempla Ellendtius cum prioribus conectit, cum dicit: ‚Sed suam et peculiarem οἷος dictionem habet, cum in sententia σχετλίασις inest, cum aut reputamus apud nos mirantes vel indignabundi vel laetantes aut adeo exclamamus cum eodem sensu etc.' Sed haec exempla, quorum Tr. 988 est, a nostris plane segreganda sunt. Etenim illa ee. rr. speciem interrogationum indirectarum prae se ferunt. Nullo igitur modo duo illa genera misceri licebat. Eadem in re peccavisse mihi videtur Krügerus (Gr. Sprachl. p. 134) et Taegelus (de enuntiatorum relativorum tempor. fin. usu ac ratione in fab. Soph. p. I In.-Diss. Bresl. 1878). Ellendtius et Taegelus certe falso afferunt Ant. 862; οἵων mere relativum est. Falso quoque Ellendtius attulit OR 319. 1227.

II. De ὡς coniunctione temporali et causali.

De utraque vi particulae, quia e relativa orta est, liceat hic aliquid adnotare. Legitur apud Aeschylum ὡς temporale

Pers. 364 416 457 ὅπως Pr. 244 Pers. 201 ὡς causale Pr. 76. 81. 523. 654. (cf. schol. ad h. l.) 662. 1062. Pers. 260 (cave hoc sumas ut ὡς exclamativum) 283. 290. 370. 595. 711. 774. 842. Sept. 405. 602. 637. 727. 969. Suppl. 742. Ag. 37. 1211. 1633. 579. Ch. 566. Eum. 114. Fortasse quis ὡς ut causale intellegat Ch. 546 δεῖ τοί νιν, ὡς ἔθρεψεν ἔκπαγλον τέρας, | θανεῖν βιαίως. Sed ex totius loci indole (538 sqq.) apparet hoc esse non ὡς causale sed proprie relativum „ut." Sensus verborum Orestis hic est: „Ut altera pars somnii eventum habet, sic etiam altera pars habebit." Suppl. 770 autem vis causalis re vera exstare videtur; sed de hoc loco dubito, nimis incertus est. Quo excepto inter exempla usus causalis et temporalis hoc discrimen est. Ee., quae causam afferunt, sententiae primariae postposita, quae tempus significant, anteposita sunt. Hoc discrimen ex natura utriusque significationis eo ortum esse videtur, quod fortasse Aeschylus diversum particulae officium notandum esse putavit. Quod si voluit, sententiam temporalem, quae altera prior est, antecedere consentaneum est. Sententia autem, qua causa alterius continetur, quamquam et ipsa prior est, explicandi causa bene asseritur (cf. etiam Frenzel, d. Entwickelung d. rel. Satzb. i. Gr. GPr. Wongrowitz 1889 prooem. n. 2.) Apud Sophoclem idem usus non occurrit cf. ὡς temporale OR 115. OC 1607, ὡς causale El. 519.

Sed proferam hoc loco, quod apud Thucydidem observavi. Apud Thucydidem discrimen huius Aeschylei simile in usu particulae ἐπεί apparet. Ubicumque enim particula ἐπεὶ tempus indicat, enuntiatum temporale alteri antecedit; quibus autem locis ἐπεί coniunctionis causalis munere fungitur, e. causale sequitur. Legitur autem apud Thucydidem ἐπεί temporale: I 49_7 II 3_4 81_8 III 23_3 24_3 107_4 IV 44_2 83_2 93_1 V 69_1 VI 2_4 50_4 65_1 VII 1_1 26_1 44_7 90_1 34_4. ἐπεί causale I 12_1 30_3 41_8 69_5 II 51_5 89_3 93_3 III 45_3 82_1 IV 78_3 80_2 VI 16_4 18_2 36_4 79_1 89_6 92_1 VII 24_2 30_1 34_4 67_2 VIII 38_5 66_1 87_4.

III. De coniunctivi in ee. rr.^vis usu.

Inter ee. rr. necessaria duae classes enuntiatorum sponte occurrunt, eorum, quae adiectivi, et eorum, quae substantivi munere funguntur. Aesch. Prom. 3 ἐπιστολὰς ἅς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, e. r. adiectivi attributi munere fungitur. Ag. 181 ὃς δ'ἔπειτ' ἔφυ, . . . οἴχεται. E. r. hoc loco substantivi scil. subiecti munere fungitur, obiecti Ch. 929. Vox, ad quam pronomen relativum refertur, omissa est, quia facile suppleri potest. Alia distinctio haec est. Notio incerta, quae supplemento eget, multis locis e. r.^vo certe definitur e. g. Prom. 3, quem locum modo exscripsi. Huius usus multa exempla inveniuntur. Atque omnibus fere locis, quia res certa et definita praedicatur, indicativus legitur; hic illic optativ. c. ἄν, lenius affirmandi genus, usurpatus est. (cf. Aesch. Eum 666. 856, praeter hos locos nusquam apud Aeschylum, Soph. OC 763 all.)

Sed potest etiam notio incerta e. r.^vo ita suppleri, ut ne supplemento quidem certe definiatur, veluti Prom. 1021 οὐκ ἔστιν αἴκισμ' οὐδὲ μηχάνημ' ὅτῳ | προστρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσαι τάδε. Res pronuntiatur, quae ex qualitate totius e. primarii sive notionis, ad quam refertur, oriunda est. Cuiusmodi in exemplis et indicativus et optativus et coniunctivus legitur (coni. uno tantum loco Aeschyleo.) Optativo Aeschylus nusquam, Sophocles plerumque ἄν apposuit. Multo plura exempla sunt, quorum hoc instar esto. Sept. 1 χρὴ λέγειν τὰ καίρια | ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως | οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ. | Sententia sane plena est, sed persona, de qua agitur, incerta est. Res, quae e^to priore praedicatur, e. r.^vo quasi a condicione sive propositione quadam suspenditur. Ad exempla huius similia et indicativus et coniunctivus adhibiti sunt (et opt. in oratione obliqua). Indicativus exstat, si praedicatum ut verum et certum pronuntiatur, notio ipsa, ad quam e. r. refertur, in dubio et incerto relinquitur. Quare poeta commotus sit, ut praedicatum quasi verum statueret, nisi e natura ac qualitate singulorum enuntiatorum sentitur, non

ubique monstrari potest. Pleraque enuntiata natura et indole ita comparata sunt, ut praedicatum quasi verum sine offensione sumi possit. Etenim rem plane notam, generalem, communem continent, quam veram esse posse semper multis exemplis demonstrare licet. De nonnullis locis haec illa addi possunt e. g. Prom. 258, 279 Sept. 1. Eum 317. Ag. 786. Suppl. 386. Ch. 110 sententia communis dici potest de singulis personis, quae paulo ante dictae sunt vel paulo post nominantur. Reperiuntur ee. rr., quibus quae sententia continetur, alteri opposita sit. Cuius oppositionis clare cognoscendae causa fortasse praedicatum ut verum statutum est. Ag. 1028 ἀρχαιοπλούτων δεσποτῶν-οἳ δ'. Ag. 837 τὸ μὲν καλῶς ἔχον-ὅτῳ δὲ . . . Eum. 579 ὧν ἔχεις . . . τοῦδε πράγματος. Eum. 317 τοὺς μὲν-ὅστις δ'. Aliis locis aliae fortasse causae sunt. Haec dum dissero, velim hoc teneri. Explicare studui, quomodo his locis indicativus facile posset scribi, attuli, quibus rebus hic illic poeta posset fortasse adductus esse, ut illum modum praeferret: non nego ad unum aliudve exemplum poetam alium modum adhibere potuisse.

Iam ad coniunctivum transeamus. Solis enim in his exemplis coniunctivus legitur, de quo agendum est. Nam in ee. rr.vis non necessariis coniunctivus non exstat nisi coni. prohib. in exemplo Aeschyleo Prom. 743.

Ut fundamentum quoddam subiciatur, omnia exempla, quae inveniuntur, statim affero. Exempla Aeschylea.

A. Coniunctivus nudus est.

I. Ee. rr., quae suo munere funguntur.

1. Ee. rr., quae a pronominibus incipiunt.

E. primarium continet a) tempus praesens. E. r. sequitur. ὅς. Eum 663. Aoristum gnomicum (ἔσωσεν in e. prim°) non habeo in numero praeteritorum. ὅστις. frg. 255. E. r. primario insertum est. ὅστις. Eum. 211. ΧΟ. τοὺς μητραλοίας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν. | ΑΠ. τί γὰρ γυναικὸς ἥτις ἄνδρα νοσφίσῃ; | ΧΟ. οὐκ ἂν γένοιθ' ὅμαιμος αὐθέντης φόνος. Vocabulum φόνος eiusve simile ad genetivum γυναικὸς supplendum est e sequentibus.

Nondum Apollo sententiam suam perfecit, cum Chorus, quia sentit, quid Apollo dicere in animo habeat, eam praeripit, ut de ea iudicet. cf. Ch. 116 Eur. Hel. 835.

b) tempus praeteritum. E. r. sequitur ὅς Sept. 242.

c) t. futurum. E. r. primario insertum est. ὅς Sept. 803.

2. E. r., quod ab adverbio incipit.

E. prim. temporis praesentis est. E. r. sequitur ὁπόθι Suppl. 129.

II. Unum e. r. substantivi munere fungitur.

E. prim. praesentis est. E. r. antecedit, ὅ. Eum. 335.

B. Coniunctivo particula ἄν apposita est.

I. Ee. rr., quae proprio munere funguntur.

1. Unum e. r. a pronomine incipit. E. prim. ad tempus futur. spectat. E. r. sequitur ὅς Pers. 176.

2. Alterum e. r. ab adverbio incipit. E. prim. temporis praesentis est. E. r. sequitur ὡς Eum. 33.

II. Ee. rr., quae substantivi munere funguntur. Ee. rr. subiectum continent, tria anteposita sunt, unum postpositum est. E. prim. est temporis a) praesentis ὅστις. Prom. 35 ὁπότερος Suppl. 441. ὅσπερ Ch. 776 b) futuri ὅπερ Ag. 965.

Exempla Sophoclea.

A. Coniunctivus nudus est.

I. Ee. rr., quae suo munere funguntur.

1. Ee. rr., quae a pronominibus incipiunt.

E. primarium est a) temporis praesentis. E. r. sequitur ὅς Ai. 812 Phaedr. fr. 611,2 ὅστις Ant. 1025 Tr. 250.

b) temporis futuri. E. r. sequitur ὅσος Phil. 1075. E. r. antecedit ὅς Ai. 496.

2. Ee. rr., quae ab adverbiis incipiunt.

E. prim. est a) temporis praesentis. E. r. sequitur ἔνθα OR 316

b) temporis futuri. E. r. antecedit ὅπου Ai. 1081.

II. Ee. rr., quae substantivi munere funguntur.

E. prim. est a) temporis praesentis. E. r. sequitur ὅς

Ai. 1159 OR 1230 OC 394 El. 770. 1058 ὅστις Ai. 758. E. r. antecedit ὅς OC 229 Ant. 323 Phil. 1360.

b) temporis perfecti. E. r. sequitur ὅστις Tr. 1008.

B. Coniunctivo particula ἄν apposita est.

I. Ee. rr., quae suo munere funguntur.

1. Unum e. r. a pronomine incipit. E. prim. est temp. praes. E. r. antecedit ὅς Ant. 563.

2. Ee. rr., quae ab adverbiis incipiunt.

E. prim. est a) t. praes. E. r. sequitur ὡς Ai. 1116. (?) E. r. antecedit ἔνθα OR 1460.

b) t. futuri. E. r. sequitur ὡς. Ph. 1329 (?) ὅποιπερ Ai. 810 ἔνθα Ant. 773 Ai. 657 OR 672. E. r. antecedit ὡς Ai. 1369.

II. Ee. rr., quae substantivi munere funguntur.

E. prim. est a) temp. praesentis. E. r. sequitur ὅς Ai. 1084. OR 280 Tr. 398. E. r. antecedit ὅς OR 579 OC 1332 Ant. 35. 582. 1057 Phil. 86 ὅσπερ Tr. 714 ὅσος Phil. 1072 fr. inc. 748.

b) t. futuri. E. r. sequitur ὅς Ai. 1086 El. 942 ὅσος. OC 1633 OR 76. 1121. Phil. 64 ὅσοσπερ El. 946 ὁπόσος OC 1773 οἷος. OC 956 ὁποῖος Phil. 658. E. r. antecedit ὅς OR 724. 749 OC 12 Ph. 574. 843. 1275. 1431 ὅσος OC 73.

Omnia ee. rr. sententiam continent, quae cogitatione prior est quam altera, primaria scilicet, ee. rr., ut breviter cum Delbrueckio dicam, priora sunt. Delbrueckius enim in egregia commentatione sua, quam scripsit de usu coniunctivi et optativi linguae Graecae et Sanscriticae (Delbr. u. Wind. Synt. Forsch. I), non solum ee. rr. sed etiam coniunctionalia omnia, in quibus coni. et opt. leguntur, ita partitur, ut dicat omnia aut priora aut posteriora esse („Die Handlung des Relativs. ist entweder das Prius oder das Posterius zu der des Hauptsatzes p. 35). Ee. rr., quae coniunctivi exempla attuli, priora sunt. Atque permulta eorum ita priora sunt, ut iis condicio quaedam sive propositio contineatur, a qua sententia primaria

pendeat. Res autem, quae praedicatur, non ut vera statuitur, sed qui legit, ut veram sumere eam iubetur, exspectatio alicuius rei exprimitur. Ubi indicativus legitur cf. p. 15 notio, ad quam pronomen vel adverbium refertur, incerta est, praedicatum ut verum statuitur. Ubi coniunctivus usurpatus est, praedicatum urgetur, neque ut verum sed ut postulatum et exspectatum scriptum est. Quare poeta adductus praedicatum non ut verum sed ut exspectatum scripserit, certe definiri nequit. Neque quisquam negabit, hoc illove loco aliter eum potuisse rem exprimere. Atque si praedicatum ut exspectatum pronuntiatur, consentaneum est sententiam primariam non temporis praeteriti esse. Aesch. Sept. 242 ex aoristo praesens petendum est: „genus mulierum molestum est.“ Idem cadit in Soph. Tr. 1008 (perf.)

Sed de modo ipso quaerendum est. Ad praedicatum ut exspectatum sive postulatum significandum coniunctivus adhibitus est. Coniunctivus nudus est apud Aeschylum 7, apud Sophoclem 18 locis; particula ἄν apposita est apud Aeschylum 6, apud Soph. 39 locis. De vi ac natura coniunctivi dicere non meum est. Sed mensura metiendumst. Diu mehercle in tot tamque diversis sententiis virorum doctorum legendis intellegendis examinandis desudavi. Probabilissima mihi quidem Delbrueckius disputasse videtur. Ille optima via profectus, dum in usum coniunctivi et optativi inquirit, qui in enuntiatis primariis appareat, in coniunctivo et optativo vim volendi inesse contendit, in coniunctivo voluntatem exspectatione adipiscendi praeditam, in optativo voluntatem illa vi non expressa i. e. optationem. (Conferatur praeter Delbr., quam laudavi, commentationem eiusdem Grundl. d. Gr. Synt. Forsch. IV). Uterque autem modus etiam affirmationi inservire potest, ita ut coniunctivus modus voluntatis, exspectationem notet, optativus, modus optationis, rem significet, quae merae cogitationis est. Haec disputavit Delbrueckius. Coniunctivus igitur ad nostra exempla aptissimus est. v. Aesch. Sept. 242 p. 23.

Praeterea, ubi coniunctivus usurpatur, ibi tempore certo neglecto de statu, ratione, qualitate solum actionis dicitur. Impugnanda autem est sententia eorum, qui coniunctivo praesentis et aoristi diversum temporis punctum significari putant. Temporis notio, ubicumque de coniunctivo agitur, omnino removenda est. Etenim notum est indicativo potissimum tempus significari. Quare locos, quibus coni. praes., ab iis, quibus coni. aoristi legitur, non separavi. Coniunctivo praes. et aor. diversus actionis status solum notatur. Coniunctivo praesentis actio quasi durans et procedens depingitur, coni. aoristi actio ut facta statuitur, unum quoddam temporis punctum actionis ingredientis sive peractae notatur. Quae dixi, paucis exemplis illustrentur. Coni. aor. Aesch. Sept. 242 ὧν ἁλῷ πόλις, expugnatio ut facta statuitur. Eum. 663 βλάψῃ „Schaden zufügt." c. praes. Prom. 35 ὃς κρατῇ „an der Herrschaft ist." c. aor. Soph. OC 394 ὃς νέος πέσῃ „zu Falle kommt." c. praes. Ai. 1159 ᾧ βιάζεσθαι παρῇ „wer die Gewalt hat . . ." Pauca exempla ex Homero elegi. c. aor. Il. P 134 λέων . . . | ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσωνται ἐν ὕλῃ | ἄνδρες ἐπακτῆρες „auf welchen stossen." c. praes. Il. Φ 323 ὅτε μιν θάπτωσιν „alles zur Beerdigung Nötige thun." Γ 62. ἀνέρος, ὅς ῥά τε τέχνῃ | νήϊον ἐκτάμνῃσιν, ὀφέλλει δ' ἀνδρὸς ἐρωήν. Videmus virum laborantem. Π 260 σφήκεσσιν . . . οὓς παῖδες ἐριδμαίνωσιν ἔθοντες. Videmus pueros ludentes et excitantes. Theogn. 609. praes. et aor. γίνεται οὐδ' ἔτι καλόν, ὅτῳ ψεῦδος προσομαρτῇ | ἀνδρὶ καὶ ἐξέλθῃ πρῶτον ἀπὸ στόματος „der verlogen ist und dem entflieht." Optime igitur scriptor coniunctivum (non indicativum, quem scilicet potest) usurpabit, si tempore neglecto qualitatem actionis depicturus est.

Sed ut ad coniunctivum ipsum redeamus, coniunctivo locis, quos supra attuli, praedicatum ut exspectatum significatur. Sed apud posteros praecipue apud prosaicos coniunctivus, si ad exspectationem significandam adhibetur, cum particula ἄν coniungi solet. Qua de particula, cruce grammaticorum,

multa variaque dicta sunt. Hermannus (de part. ἄν I. 3. p. 8) contendit particulam ἄν rem fortuitam, a condicione quadam suspensam significare neque procul abesse a vocabulis ἴσως et πού, quae sententia multis probatur cf. Kuehner Gr. Gr. II 204 § 398. Matth. Gr. Gr. II. p. 1166. Baeumlini de particula ἄν sententia (griech. Modi p. 212 „dass κὲν und ἄν die Handlung als wirklich setzen“) nemini fere probata est. Unum puto constare, id quod a viris doctis et litterarum grammaticarum peritissimis statuitur, particula ἄν, quamquam singularem vim statuere difficile est, certe si non eandem originem, at tamen simillimam et fere eandem vim habet ac particula κὲν. Quae certe pertinet ad stirpem sanskr. ka ki, graec. κο, τι, in qua vis indefinita inest. (cf. e. g. Kuehner II p. 204. § 398,1 Kviçala Ztsch. f. ö. G. XV 1864 p. 394 „κὲν irgendwie, wohl, allenfalls.“ Lange Ztsch. f. ö. G. IX p. 51 quicumque = ὅς κεν. Delbr. l. l. p. 88 „irgendwann, irgendwie.“) Constat autem particulam ἄν ante omnia ad modos verbi valere. Atque coniunctivo et optativo ἄν et κὲν ubique fere apponi potest exceptis iis locis, quibus mera vis voluntatis valet. Quare elucet particulam ἄν cohaerere cum mutatione et derivatione, qua ex coniunctivo voluntatis (cf. supra) coniunctivus exspectationis ortus est. Haec igitur quamquam constare mihi persuasi, tamen dubito num re vera in singulis exemplis, in quibus coniunctivus nudus legitur, vis voluntatis (i. e. sumptionis) magis appareat, quam in quibus ἄν appositum est. Sane huius rei nonnulla testimonia fortasse afferri possunt.

At statim obiciat aliquis: Exspectamus, ubi coniunctiones εἰ ὅτε εὖτε etc. cum coniunctivo construuntur, quia illic semper condicio, sumptio, postulatio significatur, ἄν saepius deesse quam positum esse. Atqui apud Aeschylum coniunctio εἰ multo saepius cum coniunctivo et ἄν quam cum nudo coniunctivo construitur. (c. 12 : 3), similis ratio est in usu coniunctionis εὖτε (4 : 1). Vocis ὅτε cum coniunctivo nudo coniunctae certum

exemplum non exstat. Sed usu perpetuo harum coniunctionum iam pristina aetate vis sumptionis, postulationis, condicionis vocibus ipsis indita est, ut eadem vis modi evanesceret. Praeterea coniunctivus nudus mera voluntatis vi ante omnia in enuntiatis primariis praeditus est, in sententiis secundariis vis voluntatis recedit. Quare si quidem cum hac mutatione modi coniunctivi particula ἄν cohaeret, certum est eam ne ab illo quidem processu, quo enuntiata primaria in secundaria abibant, seiunctam esse. Enuntiata autem, quae a pronominibus incipiunt, naturam ee. primariorum diutius servasse mihi videntur, quam ee., quae ab adverbiis incipiunt. Eadem ratione ducti si ea solum ee. rr. intuemur, quae a pronominibus incipiunt, hic usus apparet. Apud Aeschylum 6 locis nudus coniunctivus exstat. Quorum 5 locis notio, ad quam pronomen refertur, expressa est, 1 loco illa notio non expressa est. Ubi autem notio relationis expressa est, ee. rr. magis fidum monumentum sunt pristinae naturae — naturae dico enuntiatorum demonstrativorum et primariorum. Locorum 5, quibus ἄν exstat, 3 locis notio relationis expressa est, si modo hoc dicere possumus de Suppl. 441 Prom. 35.

De Sophocle videamus. 16 locorum, quibus coniunctivus nudus legitur — de iis dico ee. rr.vis, quae a pronominibus incipiunt — notio relationis 6 expressa est, 10 non expressa est, 31 locorum, quibus particula ἄν addita est, 7 locis expressa, 24 non expressa est. Atque etiam alia ratio apud Sophoclem existit, si tenemus particulam ἄν cohaerere cum processu illo, quo ee. rr. ex primariis in secundaria abibant. Eorum locorum, quibus coni. nudus exstat, omnium (18) 13 locis e. r. primario postpositum, 5 antepositum est. Eorum locorum, quibus ἄν appositum est, omnium (39) 19 locis e. r. primario postpositum, 20 antepositum est. Hoc autem nemo non concedet, ubi e. r. primario postpositum est, naturam ee. rr.vorum pristinam magis servatam esse. Denique ubi coni. nudus est, semper fere persona III verbum pronuntiatum est

(17), e. g. ὅστις-φρονῇ Ai. 758. Uno loco Ai. 496 pers. II, altero loco Phil. 1075 primum legitur pers. III., tunc oratio pers. I pergit. Atque si in ulla certe in III persona vis sumptionis patet. Ubi coniunctivo ἄν additum est, pers. I legitur 12 locis, pers. II 12, pers. III 15 locis.

Haec sunt testimonia, de quibus dixi. Sed si quis interpretando singula exempla conabitur demonstrare re vera, ubi coni. nudus est, vim volendi magis apparere, quam ubi ἄν additum est, frustra conabitur. Experimenta faciamus. Aesch. Sept. 242. Ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος. | ΧΟ. μοχθηρόν, ὥσπερ ἄνδρας ὧν ἁλῷ πόλις. Molestum Juppiter genus mulierum fecit, aeque ac viros, quorum urbs capitur; originem monstrare possumus: „aeque ac viros; capiatur s. fiat, ut capiatur eorum urbs." Hoc exemplo videmus coniunctivo lectorem sive auditorem quasi iuberi aliquid mente sibi fingere. Vis postulationis, apparet, qualis sit. Atque etiam de ceteris Aeschyli exemplis, in quibus coni. nudus est, idem dici potest, excepto Sept. 803, ubi vis exspectationis et futuri magis quam sumptionis apparet. Jam vero si quis intuetur exempla, in quibus particula ἄν addita est, videt duobus locis Prom. 35 Pers. 176 vim postulationis s. sumptionis non minus clare cognosci. Nos quidem discrimen inter hos locos et quos supra notavi, vix intellegere possumus. Alia res est Ag. 965 Ch. 776 (ἄν); vis postulationis plane fere evanuit, valet vis futuri et exspectationis.

Ex iis, quae dixi, apparet inter nonnullos locos, quibus particula ἄν omissa quibusque apposita est, gradum et discrimen perspicuitatis, qua magis minusve vis postulationis et sumptionis appareat, etiam nos fortasse sentire posse; at ubique idem perspicuitatis discrimen cognoscere non licet; immo, sunt loci, qui contra faciant. Hoc igitur praecepto poeta in ponenda et omittenda particula ἄν solo ductus non est, quamquam et illud ad usum particulae ἄν aliquid valuisse negare non ausim. Idem cadit in Sophoclem; exempla tractare superfluum est. cf. Phaedr. 611,2 Ant. 563 — Phil. 1360.

OC 1332. Etiam aliud documentum est, quo poetas in usu part. ἄν, postquam latius patebat subordinatio, illo discrimine solo non iam ductos esse intellegamus. Etenim etiam in enuntiatis finalibus, in quibus, si usquam, vis volendi servata est, coniunctivo ἄν saepissime addebant. Aesch. Ch. 20 Πυλάδη σταθῶμεν ἐκποδών, ὡς ἂν σαφῶς | μάθω . . . „so will ich deutlich erkennen.“ Prom. 287. 734 sententiae altera alterius simillimae sunt: altero loco ἄν scriptum, altero omissum est.

Quibus disputatis constat inter coniunctivum nudum et coniunctivum, cui ἄν additum est, discrimen, quod supra descripsi, non servatum esse. Neque hoc mirum est. Considerandum enim est, quam procul gradus sermonis, quo cum Aeschylus tum Sophocles utuntur, absit ab eo sermonis gradu, in quo modi sua vi fungebantur. Et profecto plerique viri docti, licet diversas de vi particulae ἄν sententias proferant, in hoc uno consentiunt (quod probandumst), vim coni. nudi et cum particula ἄν coniuncti, ubicumque in ee. rr.^vis legitur, plane diversam non esse, sed rationem et qualitatem actionis, quae etiam nudo coniunctivo significatur, particula ἄν apertius notari. Baeuml. p. 217 Aken. § 56 p. 41 Kuehner II § 398,2 Delbr p. 90. „Sie (κὲν et ἄν) sind nur ein beredter Ausdruck dessen, was auch durch den blossen Konj. und Opt. ausgedrückt wird.“

Sed particula ἄν, quamquam ad modos verbi potissimum spectat, tamen in ee. rr.^vis posita etiam ad pronomina et adverbia aliquid valet (cf. Kuehner quoque II p. 205). Quod luce clarius fit, cum videmus, quam arte semper fere ἄν cum pronominibus et adverbiis coniunctum sit. Apud Aeschylum ἄν omnibus, apud Sophoclem fere omnibus locis ad pronomina s. adverbia verbo non interposito se applicat. Quare quia ἄν (κὲν) vim indefinitam habere videtur, pronominibus et adverbiis particula ἄν vim indefinitam attribui statuendum est, ὅς ἄν=ὅστις. G. Herm. l l. II 10 p. 113 disputat coniunctivum nudum ad notionem certam, coniunctivum cum ἄν coniunctum ad notio-

nem generalem et communem spectare. Quae Hermanni sententia satis refutata est a Baeumlino (gr. Mod. pag. 212). Ille enim monstravit etiam coniunctivum nudum ad communia adhiberi. Aeschylea exempla Hermannus duo attulit fr. 255, Suppl. 129, ubi coniunctivus nudus est. Enuntiatis ipsis apparet de re communi et incerta agi. Etiam pronomine et adverbio indefinito id apparet. Hermannus igitur usui particulae ἄν fines et latiores et certiores, quam aecum erat, constituit. Distinguere debuit vir doctissimus inter ὅς et ὅστις.

Sunt autem exempla, quibus demonstretur particula ἄν — id quod supra dixi – pronominibus adverbiisve relativis naturam indefinitam imponi. Aesch. Ag. 964 Ζεῦ, Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει. | μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἂν μέλλῃς τελεῖν. Ch. 776 μέλει θεοῖσιν ὧνπερ ἂν μέλῃ πέρι. Utroque loco de re certa agitur, notio, ad quam pronomina referuntur, utroque loco satis certa est. Ag. 964 Clytaemnestra de caede Agamemnonis, Ch. 776 chorus de poena Aegisthi cogitat. Res certae pronominibus definitis et vocula περ confirmatis notantur. Sed quia illic Clytaemnestra, hic chorus rem verbis ipsis memorare nolunt, quasi incertam exprimunt. Quare pronominibus definitis et vocula περ confirmatis ἄν aptissime adiungitur. Aesch. fr. 255, Eum 211, ὅστις legitur. Quo pronomine et ipso notio indefinita notatur; quare ἄν omissum est. Sed Prom. 35 etiam pronomini ὅστις ἄν additum est, fortasse ut notio plane indefinita respondeat notioni indefinitae, quae est in e. primario, ἅπας. Duobus locis Suppl. 129 Eum 33 de notione indefinita et generali agitur. Eadem vis altero loco adverbio indefinito ὁπόθι, altero adverbio definito cum particula ἄν coniuncto significatur (ὡς ἄν.)

De Sophoclis exemplis hoc observavi. ὅστις, ut pronomen indefinitum, semper cum coniunctivo nudo coniunctum, ἄν nusquam additum est. Contra, ubi pronomina vel adverbia particula περ confirmata leguntur, quia notione relationis certius notata a vi indefinita longius absunt, semper ἄν addi-

tum est (cf. Aesch. Ag. 965 Ch. 776 supra). Locus significatur Ai. 1081 adverbio indefinito ὅπου, Ant. 773 Ai. 657 OR 316. 672. 1460 adverbio definito ἔνθα. Quare Ai. 1081 ἄν omissum, ceteris locis, quibus ἔνθα legitur, ἄν additum est, OR 316 excepto. In O C 1773 idem cadit atque in Aesch. Prom. 35 cf. p. 25. Certe Sophocles ἄν scribere solet iis locis, quibus notiones et sententias plane communes, incertas, generales significat. Locos dico, qualis est. Tr. 398 ΔΗ. ἦ καὶ τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας νέμεις; ΛΙ. ἴστω μέγας Ζεύς, ὧν γ'ἂν ἐξειδὼς κυρῶ. (ὧν γ'ἂν=ὅτων). Atque omnibus fere locis, quibus neutrum pronominis legitur, notio relationis plane incerta et communis est. ἃ ἄν, ἅν Ai. 1084 (bis) OR 579. 749. 280; OC 12 Phil. 574. 1275. 1431. El. 942 Ant. 1056 ὅσ'ἄν OC 73 (πάνθ' ὁσ'ἄν) 1633 OR 76 1121. Phil. 64. 1071 fr. inc. 748 ὁπόσ'ἄν OC 1773 (πάνθ' ὁπόσ'ἄν). Praeterea OR 724 (ὧν γὰρ ἄν neutr. pl.) Phil. 843 (ὧν δ' ἄν n. pl.) Tr. 714 (χὦνπερ ἂν . . . τὰ πάντα) El. 946 (πᾶν ὅσονπερ ἄν) OC 956 (οἷον ἄν n. sing.) Phil. 658 (ἄλλο . . ὁποῖον ἄν n. sing.) Supersunt 5 loci, pronominum cum ἄν coniunctorum exempla, quibus neutrum non legatur. Tamen etiam horum locis Ant. 35, 582 notio relationis plane communis et incerta est. Contra 16 locorum, quibus pronomina cum coniunctivo nudo coniuncta sunt, 2 tantum locis, quod sentiam, exceptis iis, quibus pronomina indefinita leguntur, eadem natura communis et incerta cognosci potest. OC. 229 (ὧν n. pl.) Phil. 1360 (οἷς). Haec hactenus.

Videmus multa exempla esse, quibus demonstretur pronominibus et adverbiis definitis particula ἄν vim indefinitam attribui. At, quamquam fortasse plerumque continget, ut interpretatione monstremus, ubi ἄν additum est, vim indefinitam apparere, tamen hoc quasi certum discrimen semper servatum esse nego. Immo inveniuntur etiam loci, quibus in pronominibus definitis ἂν omisso vis indefinita non minus clare appareat cf. Aesch. Sept. 803 Soph. Phil. 1360 OC 229. Ex iis, quae de usu coniunctivi nudi et cum particula ἄν coniuncti

adhuc disputavi, efficitur: Etiamsi aliqua nec non gravia discriminis vestigia apparent, tamen concedendum est duplicem locutionem — quantum quidem sentire possumus — saepe eodem sensu praeditam esse. Hoc etiam aliis exemplis clarissimis comprobatur. Unum et maxime quidem perspicuum, quod in Odyssea mihi occurrit, affero τ 329. ὃς μὲν ἀπηνὴς αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀπηνέα εἰδῇ, | τῷ δὲ καταρῶνται πάντες βροτοὶ ἄλγε᾽ ὀπίσσω . . . | ὃς δ᾽ ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀμύμονα εἰδῇ | τοῦ μέν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέουσιν. In eadem sententia ἄν prius omissum tum additum est. Nemo hic ullum discrimen indagaverit nisi subtilior quam sagacior interpres.

Sed, ni fallor, etiam aliud, quod in exteriore forma positum est, ad usum particulae ἄν aliquid valuit. Supra p. 21. commemoravi coniunctiones εἰ, εὖτε, ὅτε multo pluribus locis apud Aeschylum cum coniunctivo et ἄν quam cum nudo coniunctivo constructas esse. Atque plerisque fere locis, quibus ὅτε et εἰ cum coniunctivo et ἄν construuntur, particula ἄν cum vocibus illis componitur et miscetur ἐάν, ἤν, ὅταν. Qua compositione quia coniunctio et particula ἄν in unum quasi verbum coaluerant, ἄν coniunctionibus adscribere facilius consuescebant. Atque etiam ad numeros iambicos formae cum ἄν compositae aptiores sunt quam nudae voces εἰ, ὅτε. Neque quisquam nescit numeros permultum valuisse ad formas temperandas. Commemorare solum liceat formas duplices, quae apud tragicos Graecos plurimae occurrunt, veluti μέσος-μέσσος, μικρός-σμ., σφίν-σφίσιν etc. Harum causas in numeris positas esse apertum est. Similis particulae ἄν usus, qualem de ἐάν, ὅταν apud Aeschylum vidimus, apud Sophoclem in usu pronominum ipsorum occurrit. 18 locorum, quibus coni. nudus est, 16, 39 locorum, quibus ἄν additum est, 31 a pronominibus incipiunt. Ubicumque autem neutra pluralia ἅ, ὅσα, ὁπόσα leguntur, semper particula ἄν apposita est et facillime cum formis illis miscetur ἅν, ὁπόσ᾽ἄν, ὅσ᾽ἄν. Atque haec formae semper fere sic usurpatae sunt. Legitur ἄν Ai. 1084 (bis) OR 579. 280.

OC 12 Phil. 574. 1275. El. 942 Ant. 1056 Praeter hos duobus tantum locis ἃ δ'ἄν distinctum legitur, OR 749, ubi codices discrepant inter ἅ δ'ἄν et ἄν. Phil. 1431. ὅσ'ἄν OC 1633 OR 1121 Phil. 64 OR 76 Phil. 1071 OC 73 fr. inc. 748 ὅσος c. coni. nudo semel invenitur Phil. 1075 εἰς ὅσον. Non est forma in vocalem exiens. ὁπόσ'ἄν OC 1773. ἔνθα adverbium 4 locis cum ἄν compositum est, Ant. 773 Ai. 657 OR. 672 1460; semper scriptum est ἔνθ'ἄν, uno tantum loco ἄν deest, OR 316 ἔνθα μὴ τέλῃ in fine versus; ἔνθ' ἄν scribi lege Porsonis vetitum est.

Videmus igitur a Sophocle ἄν semper cum iis pronominum et adverbiorum formis componi, cum quibus facile miscetur, ita ut unum verbum evadat. Atque etiam – id quod gravissimum est — ad numeros iambicos multo aptiores sunt formae ἄν, ὅσ'ἄν, ἔνθ'ἄν quam ἅ, ὅσα, ἔνθα. Ergo, quamquam concedendum est his quidem locis Sophoclis vim sumptionis sane non apparere cf. p. 21 sqq. et de notione indefinita agi cf. p. 24 sqq. tamen (nam duplici illo discrimine solo poetam ductum non esse monstrasse mihi videor) inde, quod semper idem usus observari potest, unum certe efficitur: Causas, quas in his pronominum et adverbiorum formis ad particulae ἄν usum aliquid valuerunt, in formis et numeris positas esse et easdem causas etiam alibi, ubi eaedem pronominum et adverbiorum formae non leguntur, poetas in ponenda et omittenda particula ἄν interdum duxisse, non temerarii est colligere. Conferatur etiam exemplum ex Odyssea supra allatum. Caveamus igitur, ne, ubicumque ἄν particula posita aut omissa est, discrimen patefacere proni simus. Nam doctrina numerorum ante omnia nec non usu formarum aliquarum perpetuo non solum verborum formae sed etiam structurae gignebantur, quarum causas nos in syntaxi positas esse minus recte putantes indagando et demonstrando frustra diem perdimus et oleum.

Tota autem de coniunctivi usu disputatio concludatur comparatione. Coniunctivus nudus apud Aeschylum 7, apud

Sophoclem 18 locis legitur in ee. rr.vis. Coniunctivo particula ἄν apposita est apud Aeschylum 6, apud Sophoclem 39 locis. Apud Sophoclem igitur multo pluribus locis coniunctivus in ee. secundariis usurpatus affirmationi et iudicio inservit quam apud Aeschylum. Etiam ἄν apud Sophoclem latius patet.

IV. ὅ, ἥ, τό. ὅστε.

Formae pronominis ὅ, ἥ, τό a τ incipientes scriptae sunt, ut hiatus vitetur, Aesch. Suppl. 529. 606. Pers. 896. 781. Sept. 36. 496. Ag. 646. 965., Soph. OR 1054. 1427. 1379. Phil. 14 OC 304. 881. 747. 1258. El. 205. 1144. Tr. 47. 728. Ant. 606. 826. 1086, ut syllaba brevis, quae in consonantem exit, littera τ producatur Aesch. Suppl. 308. 706. 174. Pers. 42. Eum. 485, ut initium versus corroboretur Aesch. Suppl. 268. Eum. 917. Pers. 98. Soph. Phil. 1125 OC 702. Ai. 256. 225. Causam nullam videmus Soph. OC, 35; pro τῶν Elmsl. ὧν scribi vult.

De pronomine ὅστε Lammertus statuit apud Homerum locorum 239 6 locis τε omitti posse, ut numeri pleni maneant, ceteris propter numeros particulam τε desiderari. Qua de re cum exempla Aeschylea[1]) perlustramus, hoc efficitur: particula τε nusquam omitti potest. Hiatus enim vitatur littera τ ε eliso Suppl. 58 Sept. 488. 1045. Ag. 367. Ch. 611. Eum. 917. Tum ὅς eodem modo producitur Suppl. 48. 565. Pers. 299. Syllaba brevis denique, qua opus est, particula τε facile nascitur Pers. 12. Sept. 127. 735. Ag. 40. 1110. Eum. 1022. fr. 39. Eum. 335 locus dubius est. De natura pronominis ὅστε non disputo cf. Kuehner II. 701. 3. Delbr. p. 51. Unum addo Suppl. 58. sqq. . εἰ δὲ κυρεῖ τις πέλας οἰωνοπόλων | ἔγγαιος οἶκτον οἰκτρὸν αἰων, | δοξάσει τις ἀκούειν | ὄπα τᾶς Τηρείας | μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου | κιρκηλάτου τ'ἀηδόνος | ἅτ' ἀπὸ χώρων ποταμῶν

---

[1]) Sophoclis exempla fere nulla et dubia sunt.

τ'ἐργομένα | πενθεῖ νέον οἶτον ἠθέων. ἀηδονῆς ἄτοπο (priore ο ex α facto) M, corr. Turnebus et Victorius. Hermannus copula τε (τ'ἀηδόνος) falso inter lusciniam et Philomelam distingui ratus, pro κιρκηλάτου τ' κιρκηλάτας scribendum esse censuit, cui coniecturae favet Wecklinus. Jam Wellauerus eadem, opinor, causa coniecit κιρκηλάτης. Hartungius quoque Hermanni coniecturam accepit et Oberdickius, qui pro verbis ποταμῶν τ'ἐργομένα προτέρων εἰργομένα cum Martino edidit. Atque certe talis sensus saltem in his verbis inesse debet. Sed de his dicere nolo. Schuetzius κιρκηλάτου δ', Stanleius κιρκηλάτου γ', Elmsleius κιρκηλάτοι' legi voluerunt. Sed ego puto verbis servatis distinguendum esse ἅ-τ' Etenim hoc constat. In verbis κιρκηλάτου et ἅτ' ἀπὸ etc. inest, quo fortuna lusciniaę i. e. uxoris Terei, similis sit Danaidum. Quare ego iudico haec verba coordinata esse et illud τε pronomini adiunctum spectare ad τε post κιρκηλάτου positum. Hoc igitur poeta dicere mihi videtur: „Audire se aliquis putet vocem uxoris Terei, lusciniae, quae ab accipitre pellitur quaeque a sedibus consuetis (sumamus hunc sensum, quocumque modo verba scribenda sunt) prohibita luget“ etc. Hunc copulationis usum a lingua Graeca non alienum esse locis Suppl. 565. 1029 apparet; cf. etiam Eurip. Bacch. 201. πατρίους παραδοχὰς ἅς θ'ὁμήλικας χρόνῳ | κεκτήμεθ' . . .

VITA.

Natus sum Ioannes Maximilianus Klasen Berolini anno huius saeculi LXXII. die XXII. m. Aprilis patre Antonio, quem fato acerbo mihi puero septem annorum ereptum esse doleo, matre Albina e gente Mueller, qua superstite laetor. Fidem profiteor catholicam. Patre mortuo cum matre in vicum „Wissen“ nomine ad Siegam situm migravi. Ubi privatim eruditus antumno anni LXXXIII in III classem gymnasii Siegburgensis receptus sum. Vere anni XC maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut studiis philologicis operam navarem, ibique usque ad finem studiorum mansi. Seminarii historici per duo semenstria sodalis fui, seminarii philologici per tria semenstria sodalis extraordinarius, per quattuor semenstria ordinarius fui, ultimo senior. Interfui exercitationibus philologicis, epigraphicis, philosophicis. D. IV m. Augusti anni XCIV Bonnae examina publica pro facultate docendi, die XXVIII m. Februarii XCV examina rigorosa Tubingae subii et superavi. Omnium vv. cc., et qui me docuerunt et qui me examinaverunt, memoriam pio semper colam animo.